

nostris in predictis iuribus, bonis, honoribus^a, libertatibus et consuetudinibus preiudicatum sit vel in futurum posset preiudicium generari. Et tandem super premissis lamentabili dissidio^b et causis originalibus, ex quibus ortum dinoscitur, quod inter sanctam Romanam ecclesiam ac sacrum Romanum imperium et dominum nostrum Lud(wicum) imperatorem Romanorum^c iam longis viguit^d temporibus, diligenti et sollicita deliberatione^e prehabita, nos et alii coelectores nostri cognovimus, et nobis constitit evidenter ex processibus quondam domini Iohannis pape XXII. predecessoris vestri, quod ipse primo et principaliter sententias excommunicationis et interdicti, si sic dici merentur, ac alias diversas sententias et processus de facto contra Deum et iustitiam et iuris ordinem fulminavit contra predictum dominum nostrum, dominum Lod(wicum) Romanorum imperatorem, ac fautores et adherentes sibi, qui a maiori parte principum electorum fuit rite et rationabiliter in regem Romanorum electus, in imperatorem postea consecrandus, quod se de amministrazione imperii intromisit, non approbata per predictum predecessorem vestrum ipsius electione, quam in discordia asseruit celebratam. Per quas sententias et processus, cum iuri et consuetudini imperii, prefato domino nostro Lod(wico), nobis et aliis electoribus imperii permaxime derogetur, cum iure caveatur et consuetudine, cuius contrarium memoria hominum non existit, sit rationabiliter introductum et sine cuiusvis contradictione^f legitime observatum, sicut etiam in predicto parlamento per nos et alios coelectores nostros, prehabita diligenti deliberatione et discussione, ac consilio multorum principum, comitum, baronum et nobilium est concorditer declaratum et sententialiter diffinitum: quod vacante Romano imperio is, qui eligitur concorditer vel a maiori parte^{g. 1} principum electorum, pro rege Romanorum ab omnibus est habendus, et quod nec nominatione, approbatione, confirmatione, consensu vel auctoritate sedis apostolice super amministrazione bonorum et iurium imperii indiget sive titulo regio assumendo, quodque iura et bona imperii administrare et gubernare poterit et de iure et consuetudine,

a) 'hominibus' P. b) 'desidio' P. c) 'Rom. imp.' L. d) Fehlt P.
 e) Ursprünglich 'defensione', doch nachher getilgt P; 'discussione' L.
 f) 'contradictionis' L. g) 'numero' setzt zu L.

1) Vgl. den Text des sog. Nicolaus Minorita bei Ficker a. a. O. Beilage III und des Occam bei Höfler, Aus Avignon S. 16.